

7. DISMISSAL OF A RELIGIOUS FOR VIOLATIONS AGAINST THE VOW OF OBEDIENCE

a) Decree of the *Congresso*, 20 November 1985*

Instantia diei 1 februarii 1985,
Soror W.X., sodalis a votis perpetuis Societatis Y., recurrit ad Signaturam Apostolicam adversus decisionem a Congregatione pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 6 decembris 1984, prot. n. 60160/84 latam, quaque confirmatur dimissio praefatae Sororis ipsaque plene solvitur a votis religiosis ceterisque adnexis obligationibus.

Religiosa recurrens latam decisionem impugnare conatur :

- 1 – ob defectum responsionis, ex parte Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus, suis animadversionibus;
- 2 – ob defectum observantiae formalitatum in contestatione causae

* In the archives of the Apostolic Signatura, prot. no. 17083/83 CA (not previously published).

motivae dimissionis nec-
non in monitionibus pe-
ragendis ;

- 3 – ob defectum concessionis
plenae facultatis sese
defendendi ;
- 4 – ob irregularitatem in no-
tificatione impugnatae
decisionis ;
- 5 – ob defectum causae gra-
vis, externae, imputabilis
et iuridice comprobatae.

88 Considerato quod ex actis
aperte constat nullam legis viola-
tionem adfuisse *in procedendo*,
quatenus :

Ad 1. Congregatio pro Reli-
giosis et Institutis Saecularibus,
quamvis opportunum censuerit
directe non respondere Sorori
recurrenti, tamen serio perpendit
eius observationes, prout deduci-
tur ex litteris Supremae Instituti
Moderatrici missis ;

Ad 2. monitiones canonicae
rite et servata forma a Legislatore
statuta peractae fuerunt, i.e.
scriptis et coram duobus testibus
atque cuilibet monitioni addita
fuit explicita comminatio subse-
cuturae dimissionis nisi religiosa
recurrens resipisceret ;

Ad 3. sodali recurrenti data
fuit plena facultas sese defen-
dendi, qua ipsa longe lateque usa
est verbis et scriptis ;

Ad 4. documentum delibera-
tionis ex parte Consilii generalis
traditum fuit recurrenti a Modera-
trice locali, (rite a Suprema Mode-
ratrice delegata) coram duobus
testibus, prout constat ex attestatio-
ne a testibus et ab ipsa recurrente
subsignata ; documentum autem
decisionis Dicasterii Sorori recur-
renti traditum fuit ab ipsa Suprema
Instituti Moderatrice ;

Considerato etiam quod ex
actis constat nullam legis viola-
tionem adfuisse neque *in decer-
nendo*, quatenus :

Ad 5. verae causae impu-
gnatae dimissionis formaliter
contestatae fuerunt sorori recur-
renti sive in documento quo prior
monitio canonica ipsi data fuit,
sive etiam in documento quo
decisio Consilii generalis ipsique
notificata est ;

Perpenso voto pro rei veri-
tate a Rev.mo Promotore iustitiae
exarato,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

In Congressu habito coram
infrascripto Cardinali Praefecto,
die 20 novembris 1985,

DECREVIT:

**Recursus reiciendus est
quia ipse manifeste caret
fundamento.**

Datum Romae, e sede Supre-
mi Signaturae Apostolicae Tribu-
nalis, die 20 novembris 1985.

Aurelius Card. SABATTANI, Praef.
+ Zenon GROCHOLEWSKI,
Secr.